

ATION.
XXIX.



1. de Arbitris. P. J. Hammer, R. J. A. Gumpelzheimer.
2. de bone merito. A. P. Müller, R. J. Kufaeq.
3. de Quarta Trobellianica. C. G. Berger.
4. de Demonstratione, ^{von der} ~~der~~ ^{Stiftung} ~~Stiftung~~. F. Müller
A. J. Philippi. R. J. Schumann.

33
DISSERTATIO JURIDICA

XXXIII

Quam
De

Testamentis solen- nibus & minus solennibus.

Magnifici & Nobilissimi Jctorum Ordinis indultu,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi atq; Consultissimi,

DN JOHANN. CAROLI NÆVII,

J. U. Doct. & Curix Provincialis, quæ hîc est,
Protonotarii,

*Dn. Promotoris & Præceptoris sui etatem
degenerandi*

Publicæ disquisitioni subjicit

ANDREAS REICHARDT

Pofonio-Pannonius

In Acroaterio Juridico

ad d.

M. DC. LXXV.

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO JURIS

Testamentis

ribus & minus solennibus

Magistri C. H. ...

SUB PRÆSIDIO

Magistri ...

DR. JOHANN CAROLI REICHARDT

J. H. Doct. & Curie Provincialis, etc. h. c. a.

Prætoris

Dr. ...

Publico ...

ANDREAS REICHARDT

Prætoris

Magistri ...


Dr. ...

Magistri ...

Magistri ...

3





PROOEMIUM.



Veteres accuratam & sollicitam diligentiam in ordinandis testamentis adhibuisse, ita ut sine Jurisperito, vix quisquam testari ausus fuerit ex L. Titii subscriptione testamentaria in l. 88. §. ult. ff. de legatis 2. manifestum est. Quis nimia & scrupulosa subtilitas licet beneficio sacratiss. Imperatoris Justiniani quoad maximam partem hodie temperata sit, §. §. fin. Inst. de legatis ut & l. 24. Cod. de testam. frequentes tamen adhuc in foro controversias circa testamentorum materiam moveri & continuari nulla non Civitas experitur: ut hinc meritò ultimarum voluntatum formas, quæ jure civili, communi & statuario constant, indagare, necessaria non minus atque utilis opera sit. Cui propterea sequentes paginas nomine speciminis Academicum consecraturus. Deum pro felici successu supplex devenerans, & Lectoris benevolentiam observanter & amicè expetens.

A

NUM. I.

Num. I.



Nutilissima hac testamentorum materia, primùm cuinam juri ea debeant originem, disquirendum putavi. Non enim una est omnium hac de re sententia. Alii namque originem testamentorum juri gentium, alii juri civili in totum adscribunt, aliive distinguunt inter originem & formam testamentorum, illamque solum juri gentium, & hanc juri civili tribuunt. Mihi media arridet eò, quod (a) dicatur potestatem heredum instituendorum à lege XII. tab. concessam esse: Quum si ita se habent, quid magis veritati conveniens, quàm ejusdem juris testamentum esse, cujus juris est ipsorum forma substantialis.

Num. II.

Testamentum ex eo appellari, quod testatio mentis sit; Imperator (b) nos edocet: quàm etymologiam Valla (c) ex Auli Gelli in Noctibus Atticis autoritate (d) taxat: quid igitur inqvies Calciamentum? quid Paludamentum? quid Pavimentum? quid Vestimentum? quid alia mille per hujusmodi formam producta? etiam ne omnia ista à mente composita dicemus? Alcianus tamen (e) Imperatorem nostrum excusat, quod solum allusionem adducat, quæ non ad vocis originem, sed soni tantum similitudinem referatur, vel etiam cum aliis dici potest, mentis vocabulum ad majorem declarationem adjectum esse, ne quis quæcumque testationem pro testamento agnoscat, sed eam tantum, quæ sit mentis ultimæ defuncti. (f)

Num. III.

Plenius testamentum definitur à Modestino (g) Quod sit voluntatis nostræ justa sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit. Et Ulpianus in fragmentis, Cujacio commemoro-

(a) in l. 120. ff. d. V. S. (b) pr. Inst. de test. ord. (c) lib. 6. Elegan. cap. 36. (d) lib. 6. cap. 12. (e) lib. 4. de V. S. (f) Arumæus Exer. 7. th. 1. Obrecht. Disp. civ. 19. th. 25. & seq. (g) in l. 1. ff. qui test. fac. poss.

morante (h) id describit esse mentis nostræ justam contestationem, in id solemniter factam, ut post mortem nostram valeat. Et ista definitio variè impugnatur, ut passim videre est apud Dd. Ego parum referre arbitror, an quis per vocem Justa firmam validamque, vel perfectam, vel plenam atque integram aut legitimam sententiam intelligat, dummodo solennis sit, & ad juris regulas conformata (i) Nam si testamentum non jure factum dicitur, ubi juris solennia desunt: satis patet à contrario sensu, testamentum jure factum ac justum appellari, ubi dispositio solenniter juxta normam legalem facta est.

Num. IV.

Atque hinc meritò Codicillos in hac definitione non contineri puto, quia sunt ultima voluntas minus solennis, citra heredis institutionem, de eo quod quis post mortem suam fieri velit, coram quinque testibus declarata. (k)

Num. V

Subjectum capax & habile ad libere disponendum de rebus suis, (l) quomodo & qualiter ex post mortem distribui debeant; ante omnia sit sanæ mentis & sui juris tempore testationis (m) tum & testamenti factionem habeat; Et quidem pollet ea quilibet, cui non prohibetur. Prohibitio autem in jure nostro duplex occurrit, vel ob singularem qualitatem personæ testantis, quæ magis à Juris Civilis dispositione dependet, vel ob defectum aliquem naturalem, qui potius juri gentium, originem debet.

Num. VI.

Priori modo testamentum facere non possunt. (n) [I Filii fam. (o) licet Pater filio testamenti factionem concedat. (p) Quia

A 2

(b) ad d. l. ff. eod. (i) juxta l. i. ff. de injust. nupt. Obrecht. diff. 19. tb. 81. & seqq. (k) l. 7. Cod. de codicill. Cujacius Comment. ad l. i. ff. qui test. fac. poss. (l) l. 10. Cod. de test. (m) Duarenus ad l. i. ff. qui test. fac. poss. (n) per l. 19. ff. qui test. fac. l. 3. & penult. Cod. eod. (o) pr. Inst. quib. non est perm. & l. 6. l. 16. ff. eod.

testamenta per se firma, nec à Patris, vel alieno arbitrio pende-
 re oportet. Sed prohibitio hæc non simpliciter in omnibus fi-
 liorum fam. bonis obtinet, sed solum de peculio adventitio vel
 Profectitio intelligenda: non autem de castrensi vel quasi. De
 quibus eis omninò testari licet (q) cum in his filiam, pro pa-
 tribus habeantur (r) (2. Servi. (s) quia nihil proprii habent, de
 quo testari possunt, sed omnia statim Dominis suis acquirunt (c)
 & hoc rursus in tantum se extendit, ut ne quidem, eorum, per-
 mittente Domino facta testamenta subsistant. (3. De statu suo
 dubitantes vel errantes, quoniam incerti & dubii sunt de volun-
 tate sua, an valitura sit: nam incertus de statu suo certam legem
 testamento dicere non potest. (u) nisi singulare aliud privilegi-
 um habeat, veluti miles (w) (4. Capti ab hostibus (x) quoniam
 hostium servi fiunt (y) & sic alienæ potestati subiecti sunt. (z)
 Testamenta autem quæ ante captivitatem fecerunt, dum adhuc
 in civitate erant, valent vel jure postliminii, si ab hostibus redie-
 rint, vel fictione legis Corneliæ, si illis decesserint. (z) Secus si
 qui à latronibus capiuntur, qui testamenta valida atque efficacia
 condunt. (a) Sic & nulli jure testandi hodie ob captivitatem, in
 orbe Christiano perperam, privantur. Nam cum bella gerun-
 tur inter Christianos, nulla captivitas, quæ servitutem induce-
 ret; sed bella tantum civilia intelliguntur (b) (5. Obsides. Ni-
 si eis permittatur à Principe. (c) captivis enim æquivalentur (d)
 (6. Capitis damnati (e) jure antiquo. Quod hodiè sublatum est
 (f) nisi sint damnati ob crimen læsæ Majestatis qui testari non
 possunt

(q) l. fin. Cod. qui test. fac. (r) pr. Inst. b. t. l. 6. ff. de iniust.
 rapr. (s) l. 16. § 19. ff. eod. (t) S. 1. Inst. de his qui sus. (u) l. 14.
 l. 15. ff. qui test. fac. (w) l. 11. S. 1. ff. de test. mili. (x) l. 16. 18. §
 24. ff. de capt. (y) S. 4. Inst. de jure pers. (z) l. 8. pr. ff. qui
 test. fac. (z) S. 5. Inst. quib. mod. jus patr. & S. fin. quib. non
 est perm. (a) l. 13. ff. qui test. fac. poss. (b) Duar. ad l. ff. tit.
 p. 318. (c) l. Obsides ii. b. t. (d) l. 31. ff. de jure fisci. Duar. d.
 l. Schlit. de jure obsid. c. 9. th. 3. n. 14. (e) l. 8. S. 1. ff. qui test.
 fac. l. 13. ff. b. t. l. 25. ff. de acqui: & amitt. hered. (f) avib.
 bona damn. G. de bonis proscript. Const. Sax. p. 3. C. 6. Coler.
 dec. 34.

possunt (g) [7. Deportati. (h) [8. Banniti seu proscripti Imperii
 (i) [9. Monachi, quia nihil proprii habent, atq; sic servis quodammodo æquiparantur, (k) [10.] Hæretici & eorum fautores,
 (l) licet nondum convicti & ex communicatione damnati, testes
 adhiberi possint in alieno testamento (m) [11. Apostatæ ad judai-
 smum vel paganismum deficientes, (n) quo etiam referunt incanta-
 tores & lamias (o) [12. Manichæi (p) nisi liberos religionis or-
 thodoxæ hæredes instituunt. (q) [13. Usurarii manifesti. (r) [14.
 Avtochires. Quia nullus est Dominus membrorum suorum,
 (s) adeoq; & nullus ipsa natura quasi repugnante, se ipsum de
 statu mortalitatis deturbet, & hinc meritò secus faciens, pro-
 pter desperatum id facinus testandi licentia privatur. Quod
 tamen limitandum existimo: an quis ex conscientia sceleris sibi
 manus violentas intulerit: aut ex causa morbi vel alicujus dolo-
 ris acutioris & vehementioris; priori modo testamentum nul-
 lum est: imprimis, si ob crimen morte piandum conscientiam
 vulneratam habuerit: (t) Posteriori conservatur, quia ob dolo-
 rem testatores eos extra se positos existimandum est. (u) [15. Pe-
 regrini, nisi id singulariter impetraverint à Principe. (v.) Quam
 prohibitionem sustulit Imperator Fridericus, qui omnibus pe-
 regrinis hanc testamenti factionem concessit Const. Frid, de sta-
 tu & consuet. (x) Verum hæc constitutio in Germania, Italia, ali-
 isq; in locis quidem obtinet, sed in Gallia & ut laudatus com-
 memorat Limnæus, Lituania, Moscovia, Tartaria universoq; ve
 Turcico Imperio, utuntur communiter jure Albinagii, quo pe-
 cuniam s. bona peregrinorum morientium fisco annumerant.

A 3

Num.

(g) ord. crim. art. 106. & 118. (h) S. 2. Inst. de cap. dim. l. 8. §. 2. ff.
 de qui test. fac. (i) Gail. lib. 2. c. 6. n. 9. & 10. (k) avib. ingres. Cod.
 SS. Eccle. nov. 123. c. 38. (l) l. 4. §. 5. C. avib. credentes cod. de
 hæret. (m) Duar. ad l. ff. qui test. fac. (n) l. 2. 3. 4. Cod. de Apost.
 (o) D. Strauch. dis. 9. aph. 11. (p) l. 4. §. 5. Cod. de Manich. (q)
 l. 15. Cod. cod. (r) cap. 2. de usu. in bro. (s) l. 13. ff. ad l. Aquil. (t)
 Carpz. p. 3. c. 6. Def. ult. Struv. Exerc. 32. th. 8. (u) Struv. d. l. 3.
 ff. de bon. qui mori. sib. (v) avib. omnes peregr. cod. de commun.
 succ. (x) tit. I. §. 10. (y) Limnæus in notitia Regni Francia l. 2.
 6. 7. p. 584. & seqq.

Num. VII.

Expositâ testamentorum prohibitionem ex uno capite sequitur altera, quæ sit ob defectum aliquè, qui rursus duplex occurrit: aut enim est animi & iudicii, aut corporis. Ob illum à testamentis faciendis arcentur. [1. Impuberes, quia nullum eorum animi iudicium est (z) [2. Prodigii. (a) quibus bonorum suorum administratio interdicta est (b). At si quod ante bonorum suorum interdictionem fecerant, illud omninò valet, quia prodigus nemo censetur, antequam ei bonis sit interdictum. Facultatem tamen testandi habet in aliquibus casibus in Novell. Leon. (t) expressis. Videlicet si posteritati suæ bene consulat, omniaque probè disponat, aut si legatum ad pias causas faciat, quia factio testamenti eis interdicta est, tanquam prodigis, non verò ut hominibus de rebus suis prosperè disponentibus.

Num. VIII.

Tertiò. Mente capti. (d) cujus differentiam cum furiosis rectè Mynsing (e) notat, quod furiosus nempe rabie quâdam animi agatur: ac mente captus magis in quiete sit, nullaque extrinsecus violenta signa ostendat, quem & aliàs dementem vocant. (f) [4. Furiosi (g) quia eorum nulla est voluntas (h) & licet post testamentum factum, compotes mentis facti fuerint: nihilominus invalidè testantur (i) cum, ut supra monitum, testator sanæ mentis sit, eo tempore, quo testamentum facit. (k) Sed quod ante furorem fecit, valet, nisi & tùm subitaneus furor intervenierit. Atq; huiusmodi furiosis æquiparantur ebrii & irati, quorum testamentum in ira & ebrietate confectum itidem haud subsistit quia talis deliberato & sano iudicio destituitur. (l)

Num.

(z) § 1. *Inst. quib. non est. l. 5. § 19. ff. qui test. fac. l. 4. Cod. eod.* (a) § 2. *inst. b. r. l. 18. ff. eod.* (b) §. *eod. b. r. (c) 39. (d) §. 4. Inst. de curat. (e) in expl. Inst. p. m. 116. §. 4. de curat. (f) Bald. l. si furiosi. Alcia. in suis Parerg. lib. 2. Parerg. 6. § 16. (g) §. 1. *Inst. quib. non est perm. (h) l. 40. ff. de R. J. (i) d. S. 1. Inst. b. r. (k) l. 2 ff. qui test. fac. (l) l. 48. ff. de R. J. Job. Strauck. Disj. 9. 1b. 8.**

Num. IX.

Ob posterius seu defectum corporis testamenti factio inhibetur [1. Surdis & Mutis. (m) nisi à Principe eam impetraverint (n) vel scribere sciant. Considerandum tamen in istis primùm an quis conjunctim mutus & surdus à natura sit, qualis nec testamentum, nec quamlibet aliam supremam voluntatem facere potest, nequidem ad pias causas, quoniam ceu mutus animi sui sensa commodè declarare, & surdus tanquam talis testium respondentium sermonem audire nequit. (o) Vel an sit surdus & mutus simul ex aliquo casu accidenti & is, siquidem literas scit, testamentum suum, non alienam manum scribere, nisi & hoc à Principe impetraverit, permissum habet, quod si scribere nesciat etiam testari nequit, cum nec fidei commissaria quidem nutu relicta valida sint, (p) nec eo modo codicillari indulgeatur.

Num. X.

Vel porro videndum, an quis surdus tantum sit articulataque voce loqui valeat, qualis testamenti factioem habet, etiam si literarum sit imperitus. Aut demum an quis aures quidem apertas, sed linguam sive ex accidenti sive natura impeditam habeat, is non aliter jus testandi habet, quam si peritus literarum & scribat & alia juris communis solennia in testando observet. Nisi alio gaudeat privilegio, quod à testandi solemnitate eum quodammodo excuset, [2. Ob defectum corporis per modum communem testare prohibentur Cæci, qui orbi sunt lumine utroque. possunt tamen, si observent formam à Justino Imperatore, Justiniani nostri Patre præscriptam. (q)

Num. XI.

Cognitis personis quæ testari prohibentur, facile erit scire, quæ testandi licentiam habeant, scilicet in quibus cessat prohibitio. Qui quidem formam testandi observent, prout ea jure civili definita est. Diversæ autem testamentorum formæ à primordiis Imperii Romani præscriptæ fuerunt. Namque in statu

Roma-

(m) §. 3. Inst. b. t. (n) l. 7. ff. b. t. (o) l. 29. Cod. de test. (p) in l. nutu ibi glo. & Bart. de legat. 3. (q) l. 21. Cod. qui test. fac. poss.

Romanorum Democratico seu populari primùm in observantia fuit testamentum, Calatis Comitibus dictum i. e. Populo per cornicinem, civitatem circumeuntem, centuriatim convocato. Differabant enim comitia à consilio, quia comitibus calatis s. convocatis, totus populus ob causam aliquam publicam, aut statum concernentem adesse jubebatur, consilium verò erat, ubi à Magistratibus judicii causa congregatio fiebat, vel ubi Imperator Officiales bellicos convocaverit. (r.) Sed verò præter illa Comitia centuriata, alia sunt dicta curiata quæ per licitorem curiatim calari ceu convocari solebant. De quibus A. Gellius & Adrianus Turnebus, qui adhuc communium & militarium commemorat, videre licet. (s.) Et isto testamenti genere utebantur tempore pacis (t) quo communitè bis in anno dicta comitia fieri consueverunt, ubi testaturi, Populo audiente, supremam voluntatem declarabant, obtestabanturq; Quirites ut ratam eam serarent (u.)

Num. XII.

Belli verò tempore genere testamenti gaudebant, quod in procinctu appellari moris erat: nuncupantes eo supremam voluntatem coram militibus, aut commilitonibus in pugnam ituris. Quod nomen in procinctu fortiebatur eo, quod militibus in castris, in quibus ea testamenta fiebant, sine nota distinctos versari non licuerit. Quinimò hoc grande scelus morteque piandum, si quis ambulaverit, aut vallum distinctus subire tentaverit, militaris disciplinæ severi censes crediderunt. Cujus exemplum Tacitus Annal, (v) fistit, & pluribus hæc Barnabas Brissonius (x) & Francisc. Duarenus (y) edocent. Sed cum vel propter expeditionum celeritatem stationes hujusmodi militum sæpius intermitterentur, de quo Cicero (z) conqueritur nulla in quibus, perennia servantur. Nulla ex acuminibus, nul-

li vi.

(r) Turneb. *advers. lib. 13. cap. 13. pr.* (s) *A. Gell. lib. 15. cap. 26. Turneb. lib. 13. pag. 434.* (t) *§. 1. Inst. h. r. (u) Schneid. ad inst. rit. de testam. ordinand. rubr. quot sunt species testamentorum, (r) lib. II. (x) *select. antiquit. lib. 2. c. 7.* (y) *comment. ad tit. P. qui test. fac. pos. p. 322.* (z) *lib. 2. de Nat. Deor.**

li viri vocantur: Ex quo testamenta in proeinctu perierunt. Sed cum pacis tempore multi, ut ut maxime in votis habuerint, testamentum facere non potuerunt, quia Comitiorum tempus vel nondum instabat, aut subitaneo morbo corripiebantur, ex quo eos decedere intestatos oportuit.

Num. XIII.

Itaque ut malo isto obviam irent Romani inventa est alia testamentorum forma, per æs & libram dicta, qualis omni tempore tam belli quam pacis, omnibusque personis idonea erat, fiebatque per familiæ emancipationem hunc in modum: Quinque advocabantur testes, Cives nempe Rom. puberes, quibus adstabat libripens (sic à libra & pendendo, sive ponderando nominatus quasi ponderator; magis enim ponderare, quam dinumerare pecuniam veteres solebant) & familiæ emptor, qui testantis familiam seu patrimonium quasi emebat hisce solennibus verbis: Hanc ego familiam, quæ mihi emta est hoc ære, æneaque libra, jure Quiritum, meam esse ajo. Deinde ære percussus libram, id æs velut precii loco dabat ei, à quo hæreditatem expectabat, (qui Antestatus alias dicebatur) pro ut morem pristinum illum descripserunt Barn. Brissonius (a.) Ulpianus, aliive.

Num. XIV.

In hujus locum post invaluit & successit testamentum Prætorum. Quod ante constitutiones Principum fuit in usu, & à Prætoribus introductum; fiebatque in præsentia testium, quorum numero septem requirebantur cum firmamento eorum signaculorum. Deinde præter formam à Prætoribus præscriptam Imperatores Theodos. & Valentin. insuper desiderabant subscriptionem testatoris in præsentia & conspectu testium; vel si testator literas ignorabat, octavus nomine ejus subscribens adhiberi debuit. (b) Quod Imperator tamen Justinianus correxit eo casu, quo testator propria manu testamentum conscripserit, idemque in testamenti tabula contestatus sit, ubi aliam subscriptionem haud requirit. (c)

B

Num,

(a) *select. antiq. lib. 1. c. 7. Ulpianus in fragm. tit. 20. (b) l. 21. Cod. de testam. (c) l. 28. §. 1. Cod. eod.*

Num. XV.

Igitur solennis forma testamenti demum ex triplici jure quasi concrevit nempe Civili, Prætorio & Constitutionibus Principum. Quibusdam tantum personis & causis exceptis, ubi ob singulares qualitates datum est citra solennitatum harum observantiam testamenta condere, de quibus infra pluribus, Solennia verò sunt nuncupativa vel scripta: In testamento scripto testator cælat voluntatem suam testibus in nuncupativo verò revelat: vel ipsaq; ejus sunt naturæ, ut earum solemnitarum una deficiente, invalidum atq; nullum reddatur testamentum. Suntq; ea ut (d)(r) testator habeat testamenti factionem, quæ in quavis ultima voluntate desideratur. Secundò ut testamentum fiat uno contextu & actu continuo, adeò ut nullus actus alius testamento intermiscetur: nisi sit actus, quem morbi, aut naturæ necessitas exigat, ut victus necessarii vel potionis oblatio vel medicaminis datio (e).

Num. XVI.

Tertiò ut adhibeantur testes idonei & quidem numero septem (f) si testator literas novit, si non octavus adhibendus, qui testatoris loco subscribat. Qvalis numerus septenarius etiam jure imperiali novissimo requiritur. (g.) In Hungaria verò duo testes sufficiunt, sed additur his Notarius vel alia jurata persona, quæ testatoris supremam voluntatem in scripturam redigat. In Transylvania fermè eodem modo observatur, ubi duo vel tres sufficiunt testes, per verba: (h) *Quilibet testamentum facere volens, debet id facere in presentia duorum aut trium testium virorum per testatorem uno & eodem tempore simul ad id vocatorum, vel etiam si non vocati casu intervenerint & tamen presentes per testatorem postea ad id rogati sint.*

Num.

(d) l. 21. §. ult. ff. qui test. fac. poss. (e) 28. Cod. de testam. (f) §. 3. Inst. de testam. l. 21. Cod. cod. (g) Recesf. Imp. de anno 1512. tit. von Instrumentens. nun die Form &c. (h) Jus Municip. Saxonum in Transylv. lib. 2. tit. §. 4.

Num. XVII.

Quoniam hic testium mentio fit, nec abs re erit paucis hic considerare subjectum, quod testimonium perhibere potest in alterius testamento scil. Possunt omnes esse testes, quibus non interdicitur testimonium à lege (i) Prohibentur autem testes esse Mulieres (k) excepta testatione in Codicillis. (l) ut & in minus solennibus, de quibus jam dicendum erit. (m) Secundo Hermophroditi in quibus sexus foemininus praevalet (n) 3. Impuberes propter imbecillitatem animi (o) 4. Servi. (p) 5. Muti & surdi (q) 6. Cæci, cum testatorem non videre, nec sigillum recognoscere possint, quæ tamen necessaria requisita perhibentur. (r) 7. Heredes in eo testamento instituti atque consanguinei ejusdem liberive & domestici. (s) quia reprobatum hæc in re domesticum testimonium; (t) atque nemo in sua causa testis idoneus est. (u) Legatarii & fideicommissarii licet ad testimonium adhibentur (r) 8. Hæretici, Manichæi & Apostatæ. Si illi secundum tenorem authenticæ Friderici contumaciter in hæresi perseveraverint. (x) 9. Improbi, intestabiles, furiosi, [damnati publico vel privato judicio, veluti furti] &c. & tandem ii, quibus bonorum administratio interdicta est (y)

Num. XVIII.

Quarto ad solenne testamentum requiritur, ut testes specialiter sint rogati ad testandi actum & præmoniti de causa, ad

B 2

quam

(i) l. 1. §. 1. ff. de testam. (k) §. 6. Inst. de testam. l. 20. §. 6. ff. eod. Dn. Strauch. Exerc. 10. aph. 15. Carpz. p. 1. c. 16. def. 51. n. 2. (l) gloss. in l. fin. Cod. de Codicill. (m) Carpz. p. 3. c. 4. def. 36. (n) l. 10. ff. de stat. hom. & l. 15. ff. qui test. fac. (o) §. 6. Inst. (p) §. 6. Inst. b. t. (q) §. 6. Inst. eod. (r) l. 1. ff. eod. (s) §. 9. Inst. de test. (t) l. 10. Cod. de testib. (u) l. 10. ff. de testib. (v) §. 11. Inst. d. 1. & l. 20. pr. ff. qui test. fac. (x) auct. credentes cod. de heret. & manich. l. 3. Cod. de Apostat. l. 21. Cod. de hæred. (y) §. 6. Inst. de test. l. 26. ff. qui test. fac. l. 14. ff. de testib. Dn. Strauch. Exerc. 9. aphor. 19. l. 18. §. 1. qui test. fac.

quam adhiberi debeant. (z) Nihil autem refert, siue ab ipso testatore, siue alio sint vocati (a) Quod in Hungaria quoque in viridi observantia est. Sed Jus municip. Saxonum in Transylv. ab hac dispositione recedit. Idemque esse contendit: an uno eodemque tempore vocati vel non vocati casu intervenerint, dummodo presentes per testatorem ad id rogati fuerint, per verba supra allegata. Quinto testes corpore & animo presentes requiruntur, ut non tantum testatorem loquentem audiant, sed & presentem videant. (b) Nam alioquin fieri posset, ut quis vocem pro testatoris subornaret, ut hæc ab altera internosci nequeat, velut si paries vel velum inter testes & testatorem interpositum esset, quo casu testamentum conditum non subsisteret. (c) (d)

Num. XIX.

Sexto requiritur, ut testator directò heredem instituat (e) Sine institutione heredis enim testamentum est nullum, quia ex institutione heredis testamenta vim accipiunt, ita ut ista caput ac fundamentum totius testamenti appellari mereatur (f) Nihil verò interest, siue purè siue sub conditione heres scribatur. (g) Sive sub conditione impossibili, talis pro non scripta habetur. (h)

Num. XX.

Et quidem cum de heredum institutione in hoc requisito agitur, videndum quoque mihi erit, qui heredes institui possint: scilicet omnes, quibus jus acquirendi ex testamento est concessum. (i) Nihilque interest an sint liberi an servi, si modo hi libertatem, vel ex dominorum persona se heredes esse sperant (k) quod multò

(z) l. 21. pr. ff. qui test. fac. l. 21. Cod. de testib. avib. rogati cod. de testib. R. Imp. de anno 1512. von Testamenten. (a) l. 1. §. ult. si men. fals. (b) §. 3. Inst. de test. l. 9. Cod. eod. l. 20. §. 9. ff. eod. Carpz. p. 3. c. 3. def. 24. n. 5. (c) l. 9. Cod. de testib. (d) l. 21. Cod. de test. (e) l. 14. l. 29. Cod. de test. (f) §. 34. Inst. de leg. (g) §. 3. Inst. de hered. Inst. l. 33. ff. eod. (b) §. 10. Inst. b. r. l. 15. ff. de cond. inst. (i) §. 5. Inst. de hered. qualii. (k) l. 31. ff. de hered. insti.

multò magis obtinet in famulis & ministris hodierni temporis, qui liberi homines sunt. Nec obstat porrò, siue successores sint noti siue ignoti, incerti institutio nihilominus valet, modò ex eventu certi esse possint. Potest etiam quis Academijs, Civitates, Collegia & Pauperes heredes instituire (l) Imò & Deum ipsùm Angelosve, (m) & tunc ejusmodi hereditas vel ad pios usus, vel etiam in alimoniam pauperum elocatur.

Num. XXI.

Heredes autem esse nequeunt. [1. Peregrini (n) Cujus contrarium hodiè observantia introduxit. Deportati & in opus publicum damnati: (o) Item damnati ad triremes, & banniti ab Imperio. (p) Hæretici (q) Apostata (r) Filii reorum perduellionis (s) Collegia illicita (t) Princeps litis causa (u) Monachi non quidem omnes, sed Franciscaniseu Minoritæ (v) quod tamen hodiè correctum est in Concilio Tridentino. Deniqve adultera ab adultero institui heres nequit. Quod tamen juxta Carpz, (x) non ampliùs observatur.

Num. XXII.

Septimò in testamento solenniter facto desideratur, ut testator nomen subscribat (y) nisi totum testamentum suâ manu scripserit, nam tunc necessariam non esse subscriptionem testatoris supra dixi. Octavo. Omnes testes ad testamentum adhibiti propria manu subscribant testamentum & exprimant, quò & cujus testamento subscripserint (z) nisi in tali loco fiat, ubi

B 3

tot

(l) l. 6. §. 1. l. 43. Cod. de Episc. & Cler. (m) l. fin. Cod. de S. S. Eccles. (n) l. 6. §. 2 ff. de hered. Inst. l. 1. cod. cod. (o) d. l. 1. & l. 2. l. 17. §. 1. de pœn. (p) B. Brunnem. (q) l. 4. §. ipsos & aut. credentes Cod. de heret. (r) l. 1. l. 3. Cod. de Apost. (s) l. 5. §. 1. Cod. ad l. Jul. Majest. (t) l. 8. Cod. de hered. inst. (u) §. fin. Inst. quib. mod. test. (v) Clem. I. de V. S. (x) lib. 2. Jurisprud. Consist. def. 14; (y) l. 21. pr. Cod. de test. (z) l. 30. ff. qui test. fac. poss.

tot literati non inveniuntur, tunc alius pro alio scribere potest. (a) Denique requiritur ut testes singuli signacula sua testamentis imponant. (b) Nihil autem refert siue proprio, siue alieno annulo hoc fiat; testesque omnes uno annulo, siue pluribus signaverint (c) aded, etiamsi testatoris annulo urantur. (d) quo casu quidem consultum est, ut expriment in subscriptione, se in defectu proprii annuli alieno usos fuisse. (e) Sed tamen ea omissa testamentum conditum non vitatur. Quin imò dicta non solum de annulo vero & formali intelligenda sunt, sed & de alio signo signatorio, modo characterem habeat, pro ut Dn. Struvius (f) & B. Brunemannus (g) docent, quia signatio non ab annulo, sed à fide signantis dependet, atque sic tanquam testis voluntatis consideratur (h) Atque huiusmodi solemnitates omnes requiruntur in tali testamento ad evitandas fraudes, quæ facillè circa ultimas voluntates committi solent.

Num. XXIII.

Hodie frequentiora solent esse Testamenta Judicialia, utpote in quibus testes & scrupulosæ qualitates eorum non desiderantur (i) Si quidem in his Judicis autoritas, numerus & præsentiam testium supplet, quæ æquè suspicio fraudis tollitur. (k) Cæterò quoniam in his requiritur primò Judicis autoritas, qui quidem an competens vel minus (l) an superiorem vel inferiorem jurisdictionem exerceat, nihil interest (m) Secundò testatoris præsentia ita ut testamentum nequè per nuncium, nequè in vobuerum Epistolicum Judici seu actis insinuari possit, Jodex enim numerum quasi 7, testium præsentat, atque hinc non minus

(a) l. ult. Cod. de test. Carpz. p. 3. c. 3. def. 1. n. 6. (b) § 3. & 5. Inst. de test. (c) d. §. 5. Inst. eod. (d) l. 22. §. 2. ff. qui test. fac. (e) Ludwell. Exerc. ad Inst. 7. th. 12. l. f. (f) Exerc. 32. th. 10. (g) ad l. 22. ff. qui test. fac. (h) D. Gerhard. Disp. de solemn. 2. th. 85. (i) l. 19. Cod. de testam. l. 27. Cod. eod. Berlich. p. 3. conc. 4. n. 2. (k) Const. Elect. 3. part. 3. ibique Carpz. dec. 11. (l) 19. Cod. de test im. Richter. Decis. 30. n. 29. (m) Berlich. part. 3. conc. 4. n. 32.

nus atque testes à testatore videri debet. (n) Sed tamen hic distingvendum an testator ob infirmitatem personas judiciales ad se accersat, vel ipse iudicium adeat. Priori casu Judicis & Actuarii accessum & præsentiam sufficere contendit Dn. Struvius (o) Sed in Electoratu Sax. (p) Judex Scabino stipatus, aut duo ad minimum Scabini desiderantur: posteriori verò, ubi depositio testamenti in loco iudicii fit, ibi Judicis & Actuarii præsentia sufficit; imò si Actuarii copia haberi nequeat, solus Judex validè voluntatem ultimam suscipere potest, dummodò consignet, quod tum Notarii præsentia frui non licuerit. Sic & Nobiles coram actis proprii sui iudicii testari valent, si scultetum & scabinos paganos cum iudicii Actuario adhibuerint. (q) Scultetus autem cum Scabinis non sufficit, quia hi jurisdictionem non habent, sed tantummodo Ministri & Executores Dominorum Jurisdictionalium existunt. (r)

Num. XXIV.

Seqvuntur jam testamenta minus solennia, in quibus enumeratæ solennitates diversimodè sunt remissæ: sunt autem eæ sequentes I. Testamentum Parentum inter liberos, in quo Pater liberos absquè ullis solennitatibus heredes & successores bonorum suorum nuncupare vel instituere valet. (s) Et quidem si parens bona sua inter liberos per nuncupationem distribuenda putaverit, tum sola voluntas sufficit, ad ejusque probationem duo tantum testes requiruntur: qui quidem fide digni desiderantur à Carpzovio (t) ubi tamen non excluduntur fœminæ, quia cognitionem causæ præsentis, quatenus ea jure Gentium requiritur, sufficere autumat Gail. (u) Si verò Parens distributionem

(n) l. 12. Cod. de testam. (o) Exerc. 32. th. 9. (p) per dec. 45. (q) Hartm. Pif. p. 3. quest. 28. n. 4. (r) Berlich, dec. 93. n. 9. Richt. dec. 30. n. 31. Finckelthaus obs. 75. (s) l. 21. §. 1. Cod. de test. Struv. Exerc. 32. th. 18. Richt. decis. 29. pr. (t) p. 3. c. 4. d. 11. & Hart. Pif. p. 1. quest. 1. n. 11. (u) lib. 2. obs. 112. num. 6. Pantfchm. pag. 32. quest. 1. n. 31. Richt. dec. 29. n. 18.

nem Scripturæ beneficio expedire maluerit, tùm qualibet scheda sufficit, licet à testibus subscripta non fuerit, neque à testatore ipso sigillata, dummodò manũ propriã, si literas edoctus, eam consignaverit, non verò signis solùm expresserit, atque insuper tempus & liberorum nomina, itemque unciarum numerum seu signa rerum specialium declaraverit (v) Imò etiam testamentum tale valet secundum Gottofredum in Not. ad d. Avth. lit. D. si alius scripserit, & parens tantum subscripserit, ut &, si quidam ex liberis subscriptionem annexerit, quod ex Nov. quadam probare satagit : (x) quæ tamen perperam allegata videtur, atque hinc rectè quoad ultimum positionis suæ membrum dissentit Cujacius (y) Sed quoad priùs potius facerem cum Gottofredo, quem sequitur Richter (z) In utroque tamen casu removebuntur dubia, si testator postea coram duobus testibus professus fuerit, in istâ Scriptura testamentum suum contineri, modò deinceps appareat eam scripturam esse, de quâ testator antea senserit (a) In genere verò privilegia hæc testandi non modò patri, sed & matri & reliquis Ascendentibus competunt, per ea quæ tradit Carpov. (b) itemque locum habent in liberis ulteriorem gradum obtinentibus. (c) ut & naturalibus (d) Convenit tamen quovis modo parentibus ne per ea testamenta liberis legitimam adimant (e) Ut quam hi semper titulo institutionis honorabili salvam habere debent (f).

Num. XXV.

Secundum testamentum est militis, quo militi propter publicas & periculosas occupationes jurisque ignorantiam, juxta & favorem militiæ, sine ullis solennitatibus, quo vult & quo potest, modo, etiam nutu, testari permittitur (g) adeò ut ne testis

(v) apud. quod sine Cod. de testam. Nov. 107. c. 1. (x) nov. 107. cap. ult. (y) tract. 3. ad African. l. 6. ad l. Cor. de fals. (z) d. decis. 29. n. 38. & seqq. (a) Hart. Piff. d. quæst. 1. n. 9. (b) part. 3. c. 4. d. 16. 17. (c) Hart. Piff. d. l. n. 16. (d) d. l. dec. 24. (e) Nov. 115. c. 5. lib. Cod. famil. ereis. (f) d. Nov. 115. (g) l. 35. ff. de test. milit.

his desideretur, sed effectum sortiatur ultima voluntas, sive ea in
 vagina, sive in alia quacunque materia, sanguine, sive in arena
 gladio scripta fuerit (h) Sic & si per nuncupationem testari cu-
 piat, duos testes adhiberi satis est (i) parumque hic refert, utrum ii
 fuerint rogati vel casu advenerint, vel mulieres. Dummodo
 personæ testantis & negotii præsentis scientes extiterint. Ita
 nec militi prohibitum est pro parte testatum & pro parte intesta-
 tum decedere (k) Nec in ejus testamento falcidiæ detractio lo-
 cum obtinet. (l) Nec ei hereditatem directò codicillis dare in-
 terdicitur (m) vel ad tempus vel ex certo tempore, vel ex condi-
 tione, vel in conditionem heredem relinquere (n) Ast verò hoc
 solum de militibus armatæ militiæ intelligendum est, qui in ex-
 peditione, vel in castris constituti sunt, (o) quales etiam cen-
 sentur esse limitanei & præsidarii, cum primis obsidionis aut
 periculi bellici tempore Reces. Imp. (p) Quinimò non verò id
 extendendum ad milites rogatos, ut sunt Doctores Professores
 & Advocati, hi enim solennitates supra dictas observare tenen-
 tur. Eodem testandi privilegio cum militibus armatæ militiæ
 fruuntur quoque Clerici campestris, Consiliarii bellici, Me-
 dici militares & Mercatores victualium seu venalitatores ca-
 strenses Marchesentes. (q)

Num. XXVI.

Tertium testamentum est Rustici, cui hoc ab Imper.
 Justiniano est remissum, ut cum multis in pagis vix septem ido-
 nei

(b) l. 15. Cod. de testam. milit. (i) d. l. 40. ff. (k) l. 6. ff. de
 testam. milit. l. 19. ff. eod. l. 7. ff. d. R. J. (l) l. 17.
 §. fin. ff. ad L. Falcid. l. 7. Cod. eod. (m) l. 36. pr. ff. de mili-
 tit. testam. (n) l. 15. §. 4. ff. eod. (o) l. 17. Cod. de test. milit.
 l. 24. ff. eod. (p) de anno 1512. tit. von Testamenten §. und
 sollen die Notarien (q) Struv. Exerc. 34. thes. 4. Finckel-
 thaus obs. 46. ib. 16. & seqq.

nei testes haberi possint. (r) ideoqve sufficiant illiterati, dummodo plurium aut peritorum copia haberi non possit (s) nec precisè eorum subscriptio requiritur, nisi sit unus & alter scripturæ gnarus, qvitur pro reliquis subscribere potest. (t) Et hoc etiam observari in Electoratu Saxonico tradit Carpzov. (u) Verum Dn. Struv. (v) & Richt. (x) In Provinciis Saxoniciis [forsan aliis extra Electoratum] firma dicunt esse Rusticorum testamenta coram Parocho & duobus testibus, etiam non rogatis, ruri condita: ubi testes qvidem ad probationem, Parochus verò ad fraudes & calumnias testium evitandas adhibeantur. Sic & testamentum tale validum esse idem testatur Richter, si coram tribus testibus sit conditum & Parochus illud scripserit; id quod dispositioni Juris Canonici in quovis actù duorum vel trium testium numerum duntaxat desiderantis (y) convenire videtur. Quæ ipsa etiam in Pannonia observari solent, ubi coram Parocho vel Judice ejusdem pagi & duobus testibus adhibitis rustici jure testari possunt.

Num. XXVII.

Quartum testamentum est pestis tempore conditum. In quo necesse non est, ut testes uno eodemqve contextu jungantur, sed sufficit si per inter valla advocentur & compareant, sed ex dictis septem uno deficiente testamentum non subsistit. (z) Alii tamen in Imperio docent, quod pauciores quandoqve testes testamenta pestis tempore condita sustinuerint velut quinque si magna & dura pestis grassetur, si verò ipse testator laboret, aut ejus domus infecta sit, duo vel tres satisfuisse (a) quod singulari quorundam locorum observantiæ relinquo. In terris verò Saxoniciis singularis reperitur constitutio, quæ hisce in testamentis binarius testium numerus sufficit, dummodo testator ipse peste

de.
 (r) l. 31. Cod. de test. (s) l. fin. cod. eod. Recess. Imp. Colon. de anno 1512. Tit. von Testamenten. 5. und sollen die Notarien.
 (t) d. l. ult. Cod. eod. ibiqz, B. Brunm. in Comment. (u) p. 3. c. 4. def. 30. (v) Exer. 32. tb 17. (x) decis. 28. n. 2. (y) c. 23. tb 28. X. de testib. (z) l. 8. Cod. de test. Berlich. p. 3. concl. 5. n. 6. Carpz. p. 3. c. 3. def. 22. n. 2. (a) Gail. lib. 2. obs. 118.

decumbat, aut domus ejus infecta sit [p. 3. c. 4. Finckelthaus observ. pract. 7. Dn. Joh. Philippi ad decis. Elect. 46. obser. 2.] similem Dispositionem reperiri & observari in Palatinatu ducatu Würtembergensi, Civitatibus Lubeca & Hamburgo testatum facit Anton. Bullaus ad l. 8. Cod. de testam. n. 23. Nec hic quidem necessaria est testium rogatio, nec præcisè masculi desiderantur, cum & foeminarum fides hoc in casu sit approbata. (b) Verum ne fallaciæ & fraudes committantur hic, oportet testes videre testatorem, atque de testamento ejus juratum testimonium perhibere. (c) in reliquis hoc genus testamenti fermè convenire cum militari notat Gail. (d) quia tempore pestis etiam bellum quasi inter Deum & homines esse censetur. Valetq; testamentum tale etiam si pestis cessaverit per tradita, (e) Carpz. & Rauchbart.

Num. XXVIII.

Quintum & ultimum testamentum minus solenne est ad pias causas in quo relictum à testatore sive per institutionem; sive per legatum valet favore piæ causæ adhibitis solummodo duobus testibus (f) nihilque refert, utrum masculi s. foeminae testimonii causa adhibeantur, cum in his jam jam à me recensitis minus solennibus testamentis jus Gentium magis, quàm civile attendatur. (g) Sub nomine autem piæ causæ intelliguntur Ecclesiæ, Academiæ, Xenodochia, Pauperes & Stipendia quæ Studio sis exhibentur & similes: non verò eo nomine veniunt ea, quæ Pastoribus & Ecclesiæ ministris relinquuntur aut debentur, [uti id exprimitur in ord. process. Sax.] (h) nisi universo ministerio vel collegio relictum fuerit: qualia sub appellatione priori comprehenduntur.

(b) Carpz. p. 3. c. 4. def. 6. Struv. Exer. 32. tb. 21. (c) Coler. p. 2. dec. 250. (d) lib. 2. obs. 118. n. 18. (e) Carpzov. p. 3. c. 4. def. 5. Rauchbart. p. 1. quæst. 20. n. 33. (f) c. relatum II. X. de testam. Carpz. p. 3. c. 4. def. 33. (g) p. 1. dec. 28. n. 8. (h) tit. 45. vers. Weil wir aber.

SOLI DEO GLORIA.

C 2

Clariss.

Clarissime REICHARDE.

Inclytam Gentem tuam ex Juris Casarei & Canonici fontibus Constitutiones suas hausisse manifestum est. Ita & Processum Judicarium in causis inchoandis, prosequendis, discutiendis & terminandis secundum Juris Justiniani figuram ordinasse palam est. Nam Regem CAROLUM eundem ex finibus Gallie in Regnum Hungariae induxisse Civis Tuus STEPHANUS WERBEVZI restatur: (a) eandemque formam ad huc usque tempora (variatis solummodo per publicas Constitutiones quibusdam terminis) inviolabili observantia custodiri asseverat. Atque hinc jam tum superiori seculo HUNGARICA Viros scientia legum & literarum Romanorum insignes, velut: JOH. SAMBUCUM, ANDR. DUDITHIUM, JANUM PANNONIUM aliosve referente Augusto Thuano, (b) produxit: Quare & tu amicissime REICHARDE. non abs re Majorum premeus vestigia fundamentum Constitutionum Hungaricarum, quatenus imprimis causas respiciunt privatas, eas Alemannicis Academiis petisti, & hujus tuae Juris Romani peritiam specimine publico comprobatum ivisti; Quod uti sine controversia laudabile est, ita non possum non obnotatum hunc Nomen venerari, ut indes abhinc majora virtutis & felicitatis incrementa Tuis spectare liceat.

Dab. è Muséo d. XXIX Novembr,
Anno MDC LXXV.

Tuus ex animo

Johan. Carolus Næsius,
D. & Praeses.

(a) in Opere Tripart. Constit. Regn. Hungar. part. 2.
tit. 6. fin. (b) lib. Histor. 19. & 61.

Sicuti

Sicuti tandem latitantis ignis
Flamma prorumpit tenues in auras,
Ecce! REICHARDI, mea pars medullæ
dimidiumq; ,

Fama, quam curâ vigili parâsti,
Laude Te tollit geminâ Themisq; ,
Jura dum tractas, propius perennes
Spondet honores.

Irriti Sumtus minimè fuere,
Temporis longi neq; poenitere
Te potest, laudes, decus ac Honores
Te comitantur:

Ut redis doctus, Tibi sic salubris
Et Tuis gratus; meritò probatum
Tale laudamus Specimen, quod affert
pagina præfens.

*Hæc Doctiss. Dn. Autori,
Conterraneo & Amico honoratissimo
gratul. posuit,*

M. Johannes Fridericus Etelius,
Posonienf. Hung.

Was

Was hilft verborgen Gold in reicher Menge
haben?
Was ist ein Schatz den man versencket in den
Sand?

Was nützt die Saat / die nicht gebiehet ein
Weizen-Land?


Wie kan ein Mensch sich bloß mit dessen Wissen
laben?

Die Erde / die ihr Pfand in Klüfften hält vergraben/
Schadt ihrem Acker-Mann: So ist es auch bewand/
Ist jemand aufgeziert mit Weißheit und Verstand/
Mit Kunst / Geschickligkeit / und andern schönen Gaben/
Und niemand weiß darvon. Worzu ist ihm die Kunst?
Was nützt die Wissenschaft? Sein lernen ist umsonst.
Das weist du wol / mein Freund / drum wilten dahin
streben /

Daß man erkennen mag der Gaben reiche Zier /
Die sich bey dir auffhält. Nun wol / Gott sey mit dir /
Daß an dir Freud und Trost die Elteren erleben.

Hiermit wolte seinem werthgeschätzten Stuben-
und Tisch-Gefellen / vertraulichen und
Brüderlichen Freund / wie auch vielgelieb-
ten Special-Landsmann / den Herrn Ant-
wortenden / beehren

M. Andreas Titius,
Polonio-Hung.





94 A 7371

ULB Halle 3
001 700 707





56.

94 A 7371

71 41







DISSERTATIO JURIDICA ³³ ~~XXVIIII~~
Quam
De

Testamentis solen- nibus & minus solennibus.

Magnifici & Nobilissimi Jctorum Ordinis indultu,

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Nobilissimi, Amplissimi atq; Consultissimi,

DN JOHANN. CAROLI NÆVII,


J. U. Doct. & Curix Provincialis, quæ hîc est,
Protonotarii,

Dn. Promotoris & Præceptoris sui etatem
depengerandi

Publicæ disquisitioni subjicit

ANDREAS REICHARDT
Pofonio-Pannonius

In Acroaterio Juridico
ad d. M. DC. LXXV.



Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

3

